THEOLOGISCHE SAMMELHANDSCHRIFT
Melk, 1. Hälfte 15. Jh. Seite 236v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=41223
Copyright: Melk, Benediktinerstift



unde te clementi amaritudine vult purgari, et ideo temporalis
nec te frangat afflictio, nec rerum dampna discruciet
quia si in adversis gratias referens deum tibi paciam feceris
esse placabilem, etiam que amissa sunt multiplicata reddet
tibi, et super hec gaudia eterna prestant.

Idem divitem non possessio divitiarum facit sed cupido

Gregorius de symonia

Nam pro hiis brunichilde regine inter cetera scribit dicens
Sacerdotale officium in tanta illic ambitione perductum
est, ut sacerdotes subito quod grave nimis est ex lai-
cis ordinentur. Sed quid isti acturi, quod populo prestituri
sunt qui non ad utilitatem, sed fieri ad honorem episcopi concupis-
cunt. Hiis igitur qui ne dum quod docere debeant didicerint
quid aliud agitur, nisi ut paucorum proventus illicitus
fiat multis interitus, et in confusionem ecclesiastice mo-
derationis observantia deducatur, quippe ubi nullus ordo regu-
laris servatur. Nam qui ad eius regimen improvisus vel pre-
cipitatus accedit, qua ammonitione subiectos edificet,
cuius exemplum non rationem docuit sed errorem. Pudet
profecto pudet et aliis imperare, quod ipse nescit cus-
todire. Nec illud quidem quod simili emendandum est ratione
preterimus, sed quod omnino execrabile et esse gravissimum
detestamur, sacri illic ordines per simoniacam heresim
que prima contra ecclesiam orta et discreta maledictione dam-
nanda est conferantur. Hinc ergo agitur ut sacerdotalis
dignitas in despectu, et sanctus sit honor in crimine